

**1989-03-13- SS Ioannes Paulus II - Oratio ‘Patribus Cardinalibus Sacri Collegii’**

SACRUM CONSISTORIUM  
ALLOCUTIO IOANNIS PAULI PP. II  
PATRIBUS CARDINALIBUS SACRI COLLEGII  
OCCASIONE OBLATA CONCILII PRO CANONIZATIONE BEATORUM  
Die XIII mensis Martii, anno Domini MCMLXXXIX

QUOTIESCUMQUE DE CULTU agendum mihi est Sanctorum ac Sanctarum Ecclesiae Dei in terris, peculiari omnino afficiar laetitia animique consolatione, quoniam vix quidquam aequa conferre video ad cotidianam christifidelium pietatem non modo sustinendam verum etiam incendendam, ac singulis in Ecclesiis Familiisque religiosis celebrationem novorum caelitum Sanctorum. Ad mutatas enim vitae terrestris condiciones quod spectat, eorum perennia sanctimoniae exempla inter adjuncta maxime varia perpetuo nos docent similiter ad effectum salutarem deducere doctrinas ac normas vivendi quas in Christi Evangelio et Ecclesiae sana traditione invenimus.

Vestro igitur ipso conspectu hodie mane hic coram vehementer recreor, cum probe noverim huc vos advenisse intentosque adstare ut maioris nimirum momenti negotia Ecclesiae quaedam cognoscatis atque de iisdem graves quidem vestras sententias feratis. Hoc namque praecipuum adiuvandi Pontificem Maximum munus pertinet iure quidem ad statum et opus in Ecclesia vestrum. De Ecclesiarum in primis provisionibus percipientis consilia et decreta mea, quibus necessitatibus communitatum particularium per orbem prospicere placuit. Ad causas deinde transibitur quorundam Beatorum ac Beatarum, quinque nempe numero, quorum scilicet absoluti Processus suadent ut iam tempestive in Sanctorum ipsorum referantur album.

Sermo nominatim est de Agneta a Bohemia, Gaspare Bertoni, Clelia Barbieri, Alberto Chmielowski, Richardo Pampuri. Cuiusque iam pridem vitae et sanctitatis compendium recepisse vos scio et de eorum unoquoque mox rogabimini sententiam.

In his vero, haud secus atque in omnibus maioribus Ecclesiae universalis curis et causis, precamur ex animo ut validus ille Ecclesiae Patronus-Iesu Christi fidissimus custos eiusque Sanctissimae Matris Mariae-Josephus, opifex sanctus, praesens nobis adstet suaque nos caelitus depreciatione adiuvet, quem proximo die Saturni ubique gentium communitas fidelium concelebrabit et devotissimi animi eius exemplar per annum se imitaturam esse spondebit.

© Copyright 1989 - Libreria Editrice Vaticana